Feudum

Sigismundus etc. Significamus etc.

Quia nos habentes rationem servitiorum militarium Nobilis Stanislai Malechowskij quae ille Serenissimo Regi Stephano antecessori nostro in bellis Moschouiticis et nobis in Liuonicis Expeditionibus accessit, ut ante annos aliquot à Carolo Duce Sudermaniae captus, atque in captiuitate annis fere quinque detentus fuerit non sine grauissimo salutis discrimine, et totius rei familiaris iactura, faciendum nobis esse duximus, ut illi eiusque haeredibus et successoribus masculis ex lumbis eius descendentibus bona deserta Erestfer nuncupata, quae quondam Joannes Seia possidebat, item et Curiam sex Maisam Ryom dictam quam olim quidam Lixpijgas dictus possidebat, quae bona iam antea illi et nobili Catharinae Kosowska consorti ipsius in ius aduitalitium per nos collata fuerant, et in quorum illa possessione pacifica Sucusque fuit, iure Feudali conferremus. quemadmodum iam ex nunc damus donamus et conferimus cum omnibus eorundem bonorum subditis, colonis, agris, pratis, syluis, fluuijs, lacubus, rubetis, omnibusque eorum attinentijs emolumentis, et utilitatibus, necnon cum omni utili dominio. Ad habendum tenendum utifruendum instar aliorum bonorum per nos iure Feudi in Liuonia conferri solitorum. Ita tamen, ut ea alienare sine consensu nostro non possit sed eis cum successoribus suis masculis ex lumbis eius descendentibus donec superfuerit, utatur Juribus nostris Regalibus, directi dominij, item et Ecclesiae Catholicae saluis permanentibus. In cuius rei etc.

Consensus

Sigismundus etc. Significamus etc.

Quod coram nobis et Actis cancellariae nostrae constitutus personaliter nobilis Bartholomeus Grocholskij Cancellariae nostrae Scriba, Recedendo à omnis districtibus iurisdictioneque ullà quaeuis propria et competenti, praesenti vero iurisditioni nostrae sese in toto quo ad actum praesentem subijciendo, de spontaneo consensu et voluntate nostra ultro libereque recognouit. Quia ille de toto iure suo quod illi vigore Priuilegij nostri super molendinum .. dictum in oppido

323